



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 136. Aliæ Græcorum schismaticorum lucubrationes contra unionis
Decretum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

Sæcul. XV.
A. C. 1440.

§. CXXXVI.

*Aliæ Græcorum Schismaticorum luce
brationes contra unionis De-
cretum.*

Ceteri quoque Græci Schismatici ad
versus decretum suos calamos strin-
ixerunt, sparsis per totum Orientem, &
præcipue per urbem Constantinopolita-
nam sexcentis mendaciis. Horum non-
nulli Græcos, atque inter eos præprimis
Josephum Patriarcham auro corruptos, &
suffragia nonnisi coempta fuisse, per sum-
mam impudentiam effutierunt: alii non
minori protervia mentiebantur, quod ad
signandum Decretum inedia ferme ad
mortem tolerata compulsi fuerint: calu-
mniabantur isti, omnia exemplaria in Sy-
nodo allata a Latinis adulterata fuisse, hi
in vulgus spargebant, non omnes concor-
diæ subscrispsisse, illos vero, qui subscrip-
re, sententiam suam retractasse, eo quod
a Latinis seducti fuissent, tandem omnes
una voce proclamabant, cunctas fidei re-
gulas funditus eversas, antiquorum Pa-
trum, ac Conciliorum doctrinam fuisse
damnata, & sacrosanctos Ecclesiæ Græ-
cæ Ritus perperam transmutatos. Omnes
hasce Græcorum calumnias Bessarion, &
alii invictis omnino argumentis confuta-
runt, & oppositam veritatem irrefragabili-

testimo-

testimonio comprobantes, Marci Ephesi-Sæcul. XV.
ni confusionem, inscitiam, & fallacias de- A.C. 1440.
texerunt, atque Florentinæ Synodi gesta
& Decreta vindicarunt lucubrationibus
eximia eruditione longe celeberrimis, quæ
tamen, cum nonnisi, Marco jamjam vivis
erepto, publicam aspexit lucem, a Græ-
corum animis, qui aliunde ab innato in
Latinos odio præventi erant, impetrare
haud poterant, ut vel ad veritatem ample-
ctendam magis dociles, vel in schismate
minus obstinati evasissent.

§. CXXXVII.

*Græci Constantinopoli in factiones
circa unionem scissi.*

Tandem eo proterviæ sunt delati, ut
cum illis, qui Synodo interfuerant,
aut Decreto obediendum affirmabant, in
Divinis communicare, omnino detrecta-
rent, eosque tanquam anathemate per-
cussos, omnisque pietatis expertes a suo
commercio excluderent, quos cum Impe-
rator sacris interesse jussisset, schismati-
ci ab eis receperunt, solosque in Eccle-
sia reliquerunt. Denique dissensionis
flammæ tam ampla ceperunt incremen-
ta, ut etiam Imperatoris nomen ex Dyp-
tichis in compluribus Ecclesiis deletum
fuerit.

Pp 4 §. CXXXVIII.